



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

Parisiis, 1644

LXI. Ne religiosi recipient decimas de manu laicali.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15974

ANNO CHRISTI
1215
tis & maioris partis sui capituli licentia, pro aliquo fideiubeat, vel ab alio pecuniam mutuo accipiat ultra summam communi prouidentia constitutam. Alioqui non teneatur conuentus pro his aliquatenus respondere, nisi forte in vtilitatem domus ipsius manifeste constiterit redundasse: & qui contra statutum istud venire præsumperit, grauiori disciplinæ subdatur.

L X.

Accedentibus ad nos de diuersis mundi partibus episcoporum querelis, intellectimus graues & grandes quorumdam abbatum excessus, qui suis finibus non contenti manus ad ea quæ sunt episcopalis dignitatis extendunt, de causis matrimonialibus cognoscendo, iniungendo publicas pœnitentias, concedendo etiam indulgentiarum litteras, & similia præsumendo, vnde contingit interdum quod vilescat episcopalis auctoritas apud multos. Volentes igitur in iis & episcoporum dignitatibus & abbatum prouidere saluti, præsenti decreto firmiter prohibemus, ne quis abbatum ad talia se præsumat extendere, si proprium voluerit periculum euitare, nisi forte quisquam eorum speciali concessione, vel alia legitima causa, super huiusmodi valeat se tueri.

L XI.

In Lateranensi Concilio noscitur fuisse prohibitum, ne quilibet regulares ecclesias, seu decimas, sine consensu episcoporum de manu præsumant recipere laicali, nec excommunicatos vel nominatum interdictos admittant aliquatenus ad diuina.

Sub Alexā.
dro tertio
cap.9.

Concil. Tom. 28.

D d ij

Nos autem id fortius inhibentes transgressores condigna curabimus animaduersione puniri, statuentes nihilo minus quatenus in ecclesiis, quæ ad ipsos pleno iure non pertinent, iuxta eiusdem statuta Concilii, episcopis instituendos presbyteros repræsentent, ut illis de plebis cura respondeant; ipsis vero pro rebus temporalibus rationem exhibeant competentem. Institutos vero remouere non audeant episcopis inconsultis. Sane adiicimus ut illos repræsentare procurent, quos vel conuersatio reddit notos, vel commendat probabile testimonium prælatorum.

L X I I .

Cum ex eo quod quidam sanctorum reliquias exponunt venales, & eas passim ostendunt, Christianæ religioni sit detractum sæpius, ne detrahatur in posterum, præsenti decreto statuimus, ut antiquæ reliquiæ amodo extra capsam non ostendantur, nec exponantur venales. Inuentas autem de nouo nemo publice venerari præsumat, nisi prius auctoritate Romani pontificis fuerint approbatæ. Prælati vero de cetero non permittant illos, qui ad eorum ecclesiæ causa venerationis accedunt, vanis figuris, aut falsis decipi documentis, sicut & in plerisque locis occasione quæstus fieri consuevit. Eleemosynarum quoque quæstores, quorum quidam se alios mentiendo abusiones non nullas in sua prædicatione proponunt, admitti, nisi apostolicas vel diœcesani episcopi literas veras exhibeant, prohibemus. Et tunc, præter id quod in ipsis continebitur literis, nihil populo propone-